1509/1061

ORATIO

Habita in

CASTELLO *DUBLINIENSI*,

CORAM

CAROLO Duce *SALOPIÆ*;

SERENISSIMÆ

Annæ Reginæ,

IN

HIBERNIA

Locum Tenente.

A *Matthæo French*, S. T. B. Socio Seniore Collegii *Dublinienſis*, necnon Duci *Salopiæ* à Sacris.

DUBLINII:

Typis *Aaronis Rhami*, in vico dicto *Skinner-Row*. MDCC XIII.

ORATIO

Habita coram

CAROLO Duce *SALOPIÆ*, &c.

SI ab antiquiſſimâ Procerum Familiâ Splendorem derivare, honeſtum cenſeatur; Si rebus bene ac felicitér geſtis inclareſcere, glorioſum ſit; Optimo jure Singulari omnium ordinum exiſtimationi dignitas tua, *(Vir illuſtriſſime)* commendatur, adeó ut nemo ſit ità alienus à ratione, à ſtudio *Eccleſiæ*, *Reipublicæ*, *Academiæ* (quæ optimo cuiq; viro chariſſima ſunt, ac eſſe debent) qui in communi *totius hujus civitatis*, atq; adeò *Regni* lætitiâ optatiſſimum tuum adventum ſummâ cum voluntate, vel Studio potiús ac cupiditate non gratuletur,

quiq; *Hiberniam* non prædicet feliciſſimam, cui hoc tempore talem tantumq; virum præficiendum pro ſingulari ſuâ ſapientiâ ac amore erga nos *Optima noſtra Regina* decrevit.

Si præteritorum temporum memoriam renovare velim, id oſtendere facillimè liceret, te illâ domo ortum, quæ multos viros tam pace, quam bello, domi foriſq; clariſſimos in Imperij Anglicani decus & præſidium felici ubertate ſuppeditavit. Unum illud, memorabile quidem, & poſt hominum memoriam hactenus inauditum exemplum ſilentio jam prætermittendum eſſe non puto, quod primus *comes Salopiæ* poſt multas maximaſq; res geſtas in hujus regni, cui præerat, negotijs adminiſtrandis, poſt plurima bella contra *Gallos* fortiter ac feliciter dimicata, poſt pacem glorioſiſſimam ſibi ac reipublicæ, quam legatus miſſus, cum *Gallis* fecerat: tum demum rediens, Hiberniæ denuo præficiebatur, & filium ſuum eodem tempore Supremum regni *Cancellarium* vidit. Quæ quidem, (Sicut cætera omnia in familiâ tuâ) magna ſunt, attamen hoc pace dicam tuâ, *(Vir illuſtriſſime)* nullam in his eſſe laudem ampliorem, quàm eam, quam Ipſe propriâ virtute ac conſilio comparâſti. Ipſe primus *Dux Salopiæ* factus es (& quod adhuc majus honoris eſt incrementum) primus Proteſtantium Religionem amplexari, publicèq; profiteri non dubitâris. Nec hoc contigit, cum omnia pacata & tranquilla eſſent, cum honores, divitiæ, & id genus invitamenta ſpes tuas ſollicitare & allicere viderentur, ſed in graviſſimis & periculoſiſſimis reipublicæ temporibus, cum (proh dolor!) reformata religio, mæſta, concuſſa, penituſq; interitura fuiſſet. Age verò, ſuperſtitioſos Papiſmi errores relinquere, contrariam religionem amplecti non ſine vitæ & fortunarum omnium diſcrimine, hæc qui faciat, quo tandem animo eſſe putetis? Hunc religionis noſtræ non modò amiciſſimum, verum etiam conſtantiſſimum defenſorem quibus laudibus efferemus? quibus Studiis proſequemur? quâ demum benevolentiâ complectemur? Quis eſt, qui Eccleſiam

ſiam debito amore, ſicut filius matrem diligit, ſibi perſuadere unquam poterit ſub hujus viri adminiſtratione *Eccleſiæ* jura & privilegia ab antiquiſſimis temporibus ad nos derivata, poſſe aut immutari, aut imminui, quin potiùs ea omnibus honeſtiſſimis rationibus defendenda & ſtabilienda fore crediderit.

Hoc etiam ad ingentem honoris tui cumulum (*Vir illuſtriſſime*) accedit, quòd in calamitoſo ſtatu republicæ penè ad interitum redactæ graviſſimus author ad inſtituendam, fideliſſimus Socius ad comparandam, fortiſſimus adjutor ad perficiendam *glorioſam illam Rerum Anglicarum mutationem* fuiſti, quâ omnis reipublicæ dignitas, omnium Civium Salus, vita, libertas ſibi reddita ac reſtituta ſunt. Poteſt quiſquam dicere unquam meliores, fortiores, conſtantiores viros fuiſſe, quam iis temporibus & periculis, quibus penè oppreſſa eſt reſpublica? Dicendum tamen eſt te primarium virum fuiſſe in illo globo nobilitatis, qui omni ſtudio, autoritate incubuerit ad rempublicam conſervandam. Nec pigebit meminiſſe, quo conſilio, quâ virtute, quâ demum felicitate tuâ, hoc egregium opus perfeciſti: Honores & officia deponere, rem familiarem integram multo ære alieno obſtringere, incertam fortunam ſequi, Belgium petere, afflictis patriæ rebus, & morienti libertati ſuppetias orare, *Principem* tunc *Auriacum* ad cauſam hanc omnium noſtrûm miſerrimam ſuſcipiendam hortari & conſilio pecuniâq; juvare, tam calamitoſo rerum ſtatui adeo opportunum remedium quærere, hoc quidem in te (*Vir illuſtriſſime*) præclariſſimum eſt, partam verò tali facinore gloriam conſtanter tueri, & in eodem reipublicæ ſtudio contra iratos animos, & violentos infenſiſſimorum hominum impetus obſtinatè impavideq; manere, hæc eſt laus tua, hæc (inquam) gloria tua. *Princeps ille optimus* (cujus memoriam nulla unquam vetuſtas obruet, nulla delebit oblivio) novit animum, novit conſilium tuum, ea ſemper defendere, quæ ipſe rectè eſſe facta ſenties, hac ratione inductus pro

tantis

tantis tuis erga Rempublicam meritis te ampliſſimis honoribus exornandum eſſe judicavit. Intra breve temporis ſpatium ſereniſſimo Regi Wilhelmo à Sanctioribus conſiliis, & Secretioribus epiſtolis, *Dux Salopiæ*, nec non Auguſtiſſimi Ordinis auratæ periſcelidis eques, terq; unus ex *juſticiariis totius Angliæ* factus es, quibus omnium Rerum cura, & populi Salus (abſente Rege) committenda eſſet, in quibus tot tantiſq; honoribus & reipublicæ muneribus perfungendis prudentia tua ſingularis multis miriſq; modis emicuit, adeo ut affirmare non dubitem, quod in rerum magnitudine, animorum varietate, ſummiſq; reipublicæ difficultatibus, alteri, qui melius dare conſilium poſſit, quàm tua dignitas, non facile inveniri poteſt, tibi verò ipſi certè nemo melius dabit; nunquam labêre, ſi teipſum audies, ſi tecum loquêris; Quis enim eo ſapientior, qui cum in optimâ republicâ rerum geſtarum gloriâ floreret, eum vitæ curſum tenere potuiſſet, ut in negotio ſine periculo, in otio cum dignitate eſſe poſſit.

Prudentiæ tuæ ſingulari (*Vir illuſtriſſime*) liceret mihi alias quamplurimas virtutes ſubjungere, fidelitatem, fortitudinem, temperantiam, munificentiam, veritatem & ſinceritatem, morum elegantiam, in dictis, factis, totoq; corporis habitu gravitatem ſine aliquâ offenſione, in notandis hominum moribus & ingeniis penitus introſpiciendis motum animi celerem ex natura uſuq; multiplici profectum. Ea quæ omnia tibi maximam autoritatem ac amplitudinem à ſummis, mediis, infimis hominibus conciliarunt, illuſtrarunt. Harum omnium maximarum virtutum conjunctionem in Legato ineſſe oportere quis non exiſtimet? in te ineſſe quis neget? præſertim cùm ad id honorificum Legationis munus obeundum (quod pro tuâ prudentiâ, pro rei magnitudine, pro expectatione omnium bonorum expleveris) ſapientiſſima noſtra *Regina* delegiſſet, *Regina* (inquam) cujus tanta benignitas, tam inuſitata, inauditaq; liberalitas Eccleſiam magnis fortunis locupletavit, ſumma poteſtas ipſius reipublicæ

publicæ firmamentis ſubnixa tutatur, pietas ſingularis exornat ; Cujus animo hæ curæ cogitationeſq; quotidie inſident populum illius fidei & tutelæ commiſſum diutinà pace, otio, tranquillitate omnium deſideriis & votis exoptatiſſimâ retinere, retineat ad extremam uſq; Senectutem, omnes effuſiſſimo ſtudio, ardentiſſimis precibus comprecamur ; At quoniam natura habet ut aliarum rerum, ſic vivendi modum, cum naturam ipſam expleverit ſatietate vivendi, cum ſatis gloriæ ſuæ, Satis reipublicæ commodis, utilitatiq; vixerit, nemo tam rudis in republica inveniatur, tam nihil unquam nec de ſuâ, nec de communi omnium ſalute cogitans, qui non intelligat, qui non ſibi penitus perſuaſerit, à ſucceſſione in *illuſtriſſimâ domo Hanoverienſi* per leges, quam merito, quam prudenter ſtabilitâ omnino pendere vitam omnium, ſalutem, fortunas, libertatem, religionem denique, quam nemo bonus niſi cùm animâ ſimul amittit.

FINIS.

ADVERTISEMENT.

THE next Week a Tranſlation of this Speech will be Publiſhed by one of Mr. French's *Pupils.*